



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Arnulphus quatuor confessores elegit; eisque crimina sua confessus, sententia synodi damnatus est: quoniam neque Papam appellaverat ante electionem iudicum, neque postquam ij electi erant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ut ab electis iudicibus provocari non liceat. Tum tres rursus Episcopos confessionis suae testes postulavit, quam scripto & viva voce per aversionem confirmavit, dicens se indignum esse episcopatu ob sua crimina. Postquam damnatus fuit ab Episcopis, *dicentibus per ordinem omnibus: Secundum tuam confessionem cessa à ministerio*; ut adnotavit Hincmarus in posteriori opere adversus Gothelcalcum cap. xxxvi. Ceterum praeter iudices electos ad confessionem criminum, alij quoque eligi poterant ad ea convincenda, aut pro iudicandis quaestionibus canonicis, cum appellabatur à Metropolitano; quem admodum usurpatum est ab Hincmaro in Concilio Sueshionensi anno octingentesimo sexagesimo tertio.

VI. His positis videmus in actis Arnulphum quatuor Episcopos seu confessores elegisse, & una cum iis secessisse *in crypta secretiorem partem*. Facta autem ab eo confessione proditoris, confessores evocant alios Episcopos, eisque annuntiant *Arnulphum cum lacrymis & gemitu sua crimina sub nomine confessionis declarasse, seque à sacerdotali officio, quo hactenus indignè usus fuerat, removeri velle*. Tum eum omnes Episcopi hortantur, sub poena anathematis, ne quid adversus veritatem fateatur. Nihilominus ille in confessione sua persistit. Praeterea ab eo postulant ut Abbates & Clericos, qui in synodo aderant, evocari sinat, testes futuros ejus confessionis; ea tamen cautione, ut iurjurando aut anathemate injecto adigendi antea sint ad sponsonem silentij, quod impetratum est. His actis, synodus existimat deponi deinceps Arnulfum posse; quoniam neque Papam appellaverat ante electionem iudicum, quod tamen potuerat, neque postquam ij electi fuerant. Quo sane casu rejicienda prorsus fuisset ejus appellatio, cum non liceat appellare à iudicibus electis.

VII. Adfertur exemplum Potamij Archiepiscopi Bracarenfis in Concilio Toletano decimo depositi postquam impudicitiam suam scripto confessus fuerat, itemque exemplum Ebbonis, qui crimen suum confessus est Episcopis quos sibi confessores elegerat. Unde colligit synodus Remensis canonicè deponi Arnulphum posse, & alium in loco ejus ordinari.

VIII. Reges Hugo & Robertus ejus filius ad synodum veniunt *cum primoribus palatij*. Arnulphus introducitur, & publicè profitetur violatam à se fuisse fidem Regi debitam. Tum Comes Brochardus postulat ut is expressè fateatur proditorem, ut alius dein Episcopus canonicè ordinari possit in

loco ejus. Intercessit Arnulphus Episcopus Aurelianensis, vetus antistes, dicens confessionem nemini singillatim fieri posse nisi Presbyteris, satisque esse si reus crimen suum verbis generalibus publicè confiteatur, infidelitatis enim confessionem in aversione factam sufficere ad depositionem. Imò, *inquit pater Arnulphus, non eritis hodie pares sacerdotibus, quibus solis pura debetur confessio*. Vno verbo, decernitur Arnulphi depositio. Quo facto, se in terram ille in modum crucis prosternens coram Regibus, eis cum lacrymis & singultibus supplicat ut veniam sibi tribuere velint. Archiepiscopus verò Bituricensis vitam & membra pro Arnulpho nomine totius synodi petit à Regibus, quod ab eorum pietate concessum est.

IX. Arnulphus subscripsit actis suae confessionis, secundum formulam ab Ebbone praedecessore suo relictam, cujus haec verba describam, ut appareat discrimen quod intercedit inter resignationes episcopatum quae nunc fiunt absque causa, & eas quae etate illa fiebant ob crimen. *Ego Arnulfus quondam Remorum Archiepiscopus, recognoscens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos Siguinum Archiepiscopum (& alios duodecim, quos nominat) constitui mihi iudices delictorum meorum; & puram ipsis confessionem dedi, quarens remedium penitendi & salutem animae meae, ut recederem ab officio & ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse me secreto ipsis confessus sum, & de quibus publicè arguebar; eo scilicet modo, ut illi sint testes alij succedendi & consecrandi in loco meo, qui dignè praesse & prodesse possit Ecclesiae cui hactenus indignus praesui. Et ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi.*

X. At depositio illa Arnulphi, ac Gerberti successoris ejus ordinatio, offendit Ioannem XV. Papam, qui Episcopos hujus rei auctores suspendit à divinis. Gerbertus Senonensi Archiepiscopo Seguino scripsit obsequendum non esse huic suspensioni, quod adversus canones decreta esset. Hugo verò Rex Ioannem Pontificem orat ut ea approbet quae apud Remensem urbem acta fuerant; vel si id non velit, saltem Gratianopolim usque accedat, ut de hoc negotio tractare cum Rege possit viva voce; aut in Galliam veniat, ubi honor ei multus habebitur: Tum addit: *Hoc ex integro affectu dicimus; ut intelligatis & cognoscatis nos & nostros vestra nolle declinare iudicia.*

XI. Tandem Pontifex Leonem Léga-